In oratione perpetua duplicem enuntiata coniungendi rationem sequimur; unam grammatici coordinationem, alteram subordinationem appellare consuerunt. Hae autem structurae a nonnullis Graecis Latinisque scriptoribus, potissimum ab eis, qui aut a litterarum incunabulis non longe remoti sunt aut cotidiani sermonis consuetudinem imitantur, ita commiscentur atque confunduntur, ut enuntiata, quae alteri enuntiato sensu atque sententia subnexa sunt, verborum constructione, quasi sint pari dignitate, adnectantur. Quam quidem dicendi formam parataxeos nomine comprehendere volumus.

E Latinis quidem scriptoribus, qui linguam primi ad litteras accommodarunt, cum Livium Andronicum, Cn. Naevium, Q. Ennium tum T. Maccium Plautum laudandum esse, nemo est qui ignoret.

Atque ille Plautus sua natura atque ingenio excitatus id litterarum genus amplexus est, cuius liberior quidam sententiarum nexus proprius esse videtur. Imitatur enim comoedia vel maxime homines humili genere ortos eorumque agrestem vulgaremque sermonem.

Duae igitur causae apud Plautum conspirasse mihi videntur ad structuram paratacticam efficiendam, quarum una in litterarum aetate, altera in litterarum genere est posita.

De hac materia universa primum disputavit C. Fr. Hermann in indice scholar. Goetting. semestr. aestivi 1850 ‚de protasi paratactica'.

Ex aliis viris doctis, qui huic enuntiatorum constructioni operam navarunt, primum Ed. Beckerum afferamus, qui quaestionem instituit de enuntiatis interrogativis in libello a Studemundio edito, qui inscribitur ‚Studia in priscos scriptores Latinos collata' (vol. I, fasciculus prior pag. 115 seqq.).

Jamque Fr. G. Holtze in syntaxi priscorum scriptorum Latinorum (vol. II, p. 227) multa huius generis exempla, quae ad enuntiata transitiva spectant, diligenter congessit.

Porro Draegerus in libro notissimo „Historische Syntax der lat. Sprache", in vol. altero p. 213[2] seqq. pleraque enuntiatorum genera, quae ad structuram adiunctivam pertinent, summatim tractavit.

Neque neglegendum est, quod Kuehner (Ausführliche Grammatik der lat. Sprache vol. II, pag. 756 seqq.) de hac re disseruit.

Editores denique, Ussingius, Brixius, Lorenzius multis locis hunc usum attigerunt paucisque expediverunt.

Priusquam nos rem aggrediamur, declarandum nobis esse videtur, quae enuntiata apta sint ad structuram paratacticam, vel ut rectius dicam, pro quibus enuntiatis secundariis primaria a Plauto sint adhibita. Atque parataxis deprehenditur

I. in enuntiatis, quae a verbis dependent.

Hoc in numero referenda sunt

1.) enuntiata declarativa.
2.) enuntiata finalia et consecutiva, quae quidem a grammaticis transitiva appellantur;
3.) enuntiata interrogativa. Deinde parataxis occurrit

II. in enuntiatis, quae causali ratione continentur.

Huc pertinent

1.) enuntiata finalia
2.) „ „ consecutiva
3.) „ „ causalia.

Tum haec structura invenitur

III. in enuntiatis, quae condicionali ac temporali ratione continentur.

Cuius generis sunt

1.) enuntiata condicionalia
2.) „ „ concessiva
3.) „ „ temporalia.

Seiungenda sunt a nostra quaestione enuntiata comparativa et relativa, quippe quae certis exemplis paratacticis carere mihi videantur.

I. De enuntiatis, quae a verbis dependent.

Tria enuntiatorum genera supra monuimus ad hanc rationem esse revocanda. At cum unum genus — dico enuntiata interrogativa — a Beckero in libello supra laudato satis copiose tractactum sit, id missum faciamus. Restat igitur, ut disseramus

1.) de enuntiatis declarativis
2.) de enuntiatis finalibus
3.) „ „ consecutivis.

Ea dico enuntiata finalia et consecutiva, quae a verbis dependent quaeque transitiva appellantur.

I. De enuntiatis declarativis.

Haec enuntiata a verbis sentiendi et declarandi dependere et infinitivi cum accusativo formam accipere inter omnes constat. Hanc subiungendi rationem Plautus nonnunquam observavit, nonnunquam neglexit. Saepe enim invenies enuntiata primaria et subiecti et obiecti munere fungi.

Atque subiectum requirunt voces certum est, certa res est. Quod enuntiati primarii verbis exprimitur his locis: Amph. 1048. Certumst, intro rumpam in aedis. — Asin. 248. certumst, sumam foenore. — Aul. 676. Certumst, Silvano potius credam quam Fide. — 681. Certumst, malam rem potius quaeram cum lucro. — Merc. 472. Certumst, ibo ad medicum atque ibi me toxico morti dabo. — 546. Certumst, antiqua recolam et servibo mihi. — Capt. 778. Nunc certa res est, eodem pacto ut comici servi solent, Coniciam in collum pallium. — Merc. 658. Hoc mihi certissumumst, Eo domum.

Haec exempla Merc. versu 658 excepto futurum tempus exhibent. Atque apposito vocabulo ‚certumst' huius temporis vis etiam magis augetur atque excitatur.

Enuntiata primaria ut subiecti ita obiecti vice persaepe funguntur. Hanc structuram solutam inprimis tria verba efficere solent: scio, credo, opinor.

Haec enim verba in sermocinandi genere orationi quasi temere intermiscentur. Non negandum est permultas huius generis structuras ad parenthesin revocandas esse, non ad parataxin. Quare ea exempla, ubi haec quae laudavimus verba enuntiatis solute positis interponuntur, hoc loco proponere omittimus.

Eis, quae ad nostram provinciam pertinent, enuntiatis haec tria verba aut anteponuntur aut postponuntur. Nec solum verborum collocatione sed etiam temporum et modorum usu haec exempla inter se differunt. Usurpatur enim aliis locis indicativus futuri vel futuri exacti temporis, aliis coniunctivus quidam absolutus, aliis indicativus praesentis aut praeteriti temporis.

Verbum scio anteponitur

a) cum futuro coniunctum:

Amph. 703. Non tu scis, Bacchae bacchanti si vis advorsarier, Ex insana insaniorem facies, feriet saepius. — Merc. 164. Nam certo

scio, Locum quoque illum, ubi situst, comederit. — Pseud. 511. Certe edepol scio, Si abstuleris, mirum et magnum feceris. — Pseud. 1320. Scio, onerabis.

b) cum coniunctivo absoluto:

Bacch. 635. Scio, dares. — Trin. 832. Sat scio, in alto distraxissent disque tulissent satellites tui miserum foede.

c) cum indicativo praesentis aut praeteriti temporis:

Asin. 215. Non tu scis, hic noster quaestus aucupi simillumust. 790. Scio, captiones metuis. — Bacch. 254. Edepol certo scio, Volcanus, Luna, Sol, Dies di quattuor Scelestiorem nullum inluxere alterum. — 1079. Scio, fui ego illa aetate et feci illa omnia, sed more modesto. — Mil. 1156. Certo scio, Oppidum quodvis videtur posse expugnari. — Most. 1081. Scio, iocaris nunc tu. — Pseud. 221. Scio, tu oleum hau magni pendis, vino Tu te deungis.

Verbum scio postponitur:

a) Cum futuro: Bacch. 634. Ille quidem hanc abducet, scio. — Capt. 971. Pauca ecfugiam, scio.

b) cum coniunctivo: Aul. 742. ni vellent, non fieret, scio.

c) cum praesenti: Men. 599. Amica expectat me, scio. — 325. Non edepol tu homo sanus es, certo scio. — Rud. 744. Jam ea tantast, si vivit, scio.

Secundo loco ponam verbum credo.

Id anteponitur

a) cum futuro: Aul. 204. Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia, Mi ut despondeat, sese a me derideri rebitur. — Bacch. 361. Credo hercle, adveniens nomen mutabit mihi Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrusalo. — Cas. 284. Credo hercle, hodie devotabit sortis. — Merc. 207. Credo, non credet pater. Most. 441. Credo, expectatus veniam familiaribus. — Truc. 474. Credo, istic haud multo post aderit.

b) cum coniunctivo: Merc. 177. Credo, si boni quid ad te nuntiem, instes acriter. — Pseud. 980. Credo, in tenebris si sis me conspicatus, abstineas manus.

c) cum indicativo praes.: Ep. 535. Credo ego, illic hospitio usus meo venit. Most. 1080. Credo, haud negat.

Verbum credo postponitur:

a) cum futuro: Ep. 257. Nam ille quidem aut iam hic aderit credo hercle [aut iam adest]. — Mil. 368. Oculis carebis credo.

b) desunt exempla.

c) cum indic. praes. et praet.: Men. 182. Metuis credo. — 450. Atque abiit ad amicam credo. — Trin. 527. Consuadet homini credo.

Eodem sensu atque usu positum est opinor.

His locis anteponitur:

a) cum futuro: Asin. 151. Opinor, hic ante ostium Meo loquar modo, quae volam. Cas. 828. Hercle opinor, potius vobis credam, quod vos dicitis.

b) en. non extant.

c) cum praes. aut praet.: Men. 414. Hercle opinor, pernegari non potest. Mil. 417. Hercle opinor, ea videtur. Rud. 661. opinor, leno pugnis pectitur. Stich. 398. opinor, provenisti futtile. Trin. 422. Pol opinor, adfinis noster aedis vendidit.

Opinor postponitur:

cum futuro: Persa 651. Emam eam opinor.

cum praes. aut praet. Mil. 215. Habet, opinor. Merc. 307. Ludificas nunc tu me hic, opinor. 335. Homo me miserior nullus est aeque, opinor.

Rarior hic usus exsistit in aliis huius generis verbis, velut spero, promitto, sentio, intellego, cogito, censeo, reor, dico, moneo, fateor, audio, video.

Ep. 124. Spero, servabit fidem. (exceptis parentheseos exemplis: Asin. 917; Truc. 317). — Stich. 480. Unum quidem hercle certe promitto tibi, Lubens accipiam, certo si promisseris. — Mil. 1377. Sensi, hinc sonitum fecerunt fores. 579. Una hic et Palaestrio Me habent venalem, sensi et iamdudum scio. Pseud. 466. Jam pridem tu me spernis, sentio. Bacch. 298. Non me fefellit, sensi. — Bacch. 50. Intellego, duae me unum expetitis palumbem. Persa 802. Ludos me facitis, intellego. Truc. 545. Vehementer nunc mist irata, sentio atque intellego. — Aul. 379. Deinde egomet mecum cogitare inter vias Occepi, festo die si quid prodegeris, Profesto egere liceat, nisi peperceris. (cf. Most. 216, Poen. 234). — Rud. 1269. Censen' hodie despondebit eam mihi. — Men. 846. Hem iam reor, Ni occupo aliquod mihi consilium, hi domum me ad se auferent. — Ep. 669. Dico ego tibi nunc, ut scias: Alium te tibi comitem meliust quaerere. (cf. Persa 653; Pseud. 119). — Most. 196. Moneo ego te, te ille deseret aetate et satietate. — Aul. 88. Pauper sum, fateor. Pseud. 913. Fuit meum officium ut facerem, fateor. Merc. 987. Fateor, deliqui profecto. Rud. 285. Fatebor,

ego huius clueo fani sacerdos. — Merc. 378. Saepe ex te audivi, pater, Rei omnis sapientis primum praevorti decet. Pseud. 1157. propero, vides.

Haec omnia, quae hucusque congessimus, exempla si consideraveris, facile intelleges, summam sententiae positam esse in enuntiato declarativo, quod sententiae primariae formam indutum est, atque verbum declarandi appositum esse, ut ea, quae altero enuntiato continentur, quam maxime efferrentur.

2. De enuntiatis finalibus transitivis.

Enuntiata finalia aut a certis verbis, maxime orandi et imperandi, pendent, — en. transitiva — aut re atque sensu ita cum altero enuntiato continentur, ut exsistat ratio quaedam finalis — en. adverbialia. Quae cum in causali ratione posita sint, alteri capiti tribuamus atque hoc loco sola enuntiata a verbis dependentia, quae dicimus transitiva, afferamus.

Si id, quod petitur, oratione recta profertur, enuntiati imperativi formam induatur oportet. Huius imperativi vis debilitatur et ad precationis speciem revocatur verbis orandi solute appositis. Quo munere cum apud alios scriptores tum apud Plautum saepissime funguntur verba quaeso et obsecro.

Ea quoque verba, ut declarativa, enuntiatis primariis, quae imperativi formam exhibere diximus, aut anteponuntur aut postponuntur. Iterum exempla, quae in parenthesi versantur, a commentatione nostra seiungamus.

Verbum quaeso enuntiata antecedit hisce locis:

Amph. 1097. Quaeso, absolvito hinc me extemplo. Asin. 375. Quaeso, aequo animo patitor. cf. 417. Capt. 432. Sed te quaeso, cogitato hinc mea fide mitti domum. 570. Men. 742. Quaeso hercle, mulier, si scis, monstra, quod bibam. Merc. 614. Quaeso hercle, animum ne desponde. Mil. 865. Quaeso tamen, tu meam partem, infortunium Si dividetur, me absente accipito tamen. Persa 116. Quaeso, animum advorte hoc. Pseud. 277. 885. Poen. 1040. e. a. s.

Exempla, ubi quaeso enuntiata sequitur, ponantur haec:

Asin. 418. Quiesce, quaeso. 462. da, quaeso. 596. Mitte, quaeso. Bacch. 201. Vide quaeso. Men. 497. Responde, adulescens, quaeso. Mil. 568. Nunc hoc mi ignosce, quaeso.

Cum nil novi habeat hic usus, haec exempla sufficiant.

Venio nunc ad verbum obsecro.

Atque id antepositum est:

Asin. 431. Hospes, te obsecro, defende. Asin. 688. Ego obsecro te, utrumque nostrum serva. Bacch. 553. Obsecro hercle, eloquere, quis is est? 909. Capt. 977. Philocrates, per tuum te genium obsecro, exi. Merc. 166. Obsecro, dissolve iam me. 892. Most. 618. Obsecro hercle te, obici Jube huic argentum ob os impurae beluae. Rud. 742. — Postpositum est in hisce exemplis: Bacch. 203. Dice ubi ea nunc est, obsecro. 368. Pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci, obsecro. 1026. Da mihi ducentos nummos Philippos, te obsecro. Curc. 308. Eloquere, te obsecro hercle. 310. Retine, retine me obsecro. 312. da, obsecro hercle. etc.

Ea exempla huic usui illustrando sufficiant.

Inveniuntur etiam loci, ubi apud verbum quaeso imperativi loco coniunctivus positus est. Sed hic modus sine coniunctione ut usurpatus, qui in omnibus enuntiatis, quae a verbis dependent, sexcenties occurrit, aut ad hypotaxin pertinet aut certe transitum parataxeos in hypotaxin significat. (cf. Holtze synt. II, 166. n. 20, et H. Schnoor, quaestiones Plautinae, Kiel 1878). Quare neque ea exempla, neque illa, qua coniunctionem ut ostendunt, ad meam provinciam pertinere existimo.

Eundem fere sensum, quem verbum quaeso, accipit formula amabo, quam Brixius explicat verbis ‚amanter rogabo'. Neque ab ea aliena est structura subiunctiva, velut Men. 425 (R.) Sed scin' quid te amabo ut facias (cf. Truc. 872).

Prorsus autem eius propria est structura adiunctiva. Atque ad parataxin spectant haec exempla:

Poen. 380. Amabo, mea voluptas, sine te hoc exorarier.

Asin. 939. De palla memento, amabo.

Adde locos: Poen. 250; 335; Asin. 894. etc.

Admodum raro aliud invenitur verbum, quod imperativo solute apponitur. Eiusmodi exempla haec congessimus:

Aul. 683. Nunc te obsecro Resecroque, mater quod dudum obsecraveram, Fac mentionem cum avonculo. Persa 47. Obsecro Resecroque te, operam da hanc mihi fidelem. Amph. 923. Per dexteram tuam te, Alcumena, oro, obsecro Te, da mi hanc veniam, ignosce, irata ne sies. Merc. 995. Eutyche, oro te: sodalis eius es: serva et subveni. Mil. 159. Nunc adeo edico omnibus: Quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis Extra unum Palaestrionem, huc deturbatote in viam. —

Priusquam huic paragrapho finem faciamus, ne quis exempla desideret, iterum monemus, coniunctivi solute positi structuram, quam praebent verba oro, volo, malo, sino, ago e. a. s, a quaestione nostra esse secretam. Quae cum ita sint, ad en. consecutiva transire licet.

3. De enuntiatis consecutivis, quae transitiva vocantur.

Haec quoque enuntiata pari ratione ac finalia in duo genera discedunt: in ea, quae a verbis dependent, en. transitiva, et in ea, quae sententiarum nexu efficiuntur, adverbialia.

Enuntiata, de quibus hoc loco nobis disputandum est, cum ab aliis verbis, tum a verbis faciendi pendere et coniunctione ut subiungi constat. Quae quidem subiunctio a Plauto tum neglegi solet, cum faxo (=fecero) enuntiatis aut anteponitur aut postponitur aut inseritur. Ut enim hunc dicendi usum compleam, parentheseos quoque exempla adiungam. — Hanc materiam iam tractarunt et Madvigius in opusc. acad. II, 77 et Ussingius in adnotatione ad Amph. v. 351 et Luebbertus in libello qui inscribitur „Grammatische Studien" § 12 p. 101 (der Konjunktiv Perf. u. das Fut. exakt. im älteren Latein). Cum nos ad hanc quaestionem accedamus, lectionem codicum sequamur recteque interpretari conemur.

Atque primum quidem faxo coniungitur cum futuro. Documento sint haec exempla: Asin. 131. Ibo ego ad tresviros vostraque ibi nomina Faxo erunt. Bacch. 506. Ego faxo hau dicet nactam quem deluserit. Casin. 380. Vir aberit faxo domo. Ep. 156. Jam faxo hic erit. (cf. Mil. 463 et Persa 439.) Men. 326. Jam ego haec madebunt faxo. Persa 446. Jam hic faxo aderit (=Pseud. 393 et Truc. 428, cf. Persa 161). Rud. 578. Exarescent faxo. Truc. 118. Faxo erunt.

Permultos locos addere possum. Ceteros collectos invenies in Madvigii aut Luebberti libro supra laudato.

His exemplis, quae futurum praebent, quasi fundamento nisus Madvigius, ubi coniunctivus praesentis invenitur, eum in futurum mutavit. Id eo facilius fieri potuit, quod omnes coniunctivi formae a tertia et quarta coniugatione petitae in prima persona cum futuro plane congruunt, in ceteris una littera (a pro e) differunt. Nec difficilior fit coniectura, si pro coniunctivo sit, quem codd. praebent, scribitur ‚erit'.

Accipe haec exempla, quae, si codicum fidem sequimur, coniunctivum, si Madvigio adstipulamur, futurum ostendunt.

Amph. 589. Quoius ego hodie in tergum faxo ista expetant (expetent Madv.) mendacia. 972. Faxo haud quicquam sit (erit) morae. Asin. 876. Sequere hac me modo: iam faxo ipsum hominem opprimas. 902. faxo scias. Bacch. 864. Faxo se haud dicat nanctam, quem derideat. Men. 644. faxo scias. 539. Et palla et spinter faxo referantur simul. 113. Praeterhac si mihi tale post hunc diem Faxis, faxo foris vidua visas patrem. Most. 68. Ervom tibi aliquis cras faxo ad villam adferat. 113. Ego ferare faxo ut meruisti in crucem. Trin. 63. Ne tu hercle faxo haud nescias, quam rem egeris. 882. Si unum quidquid singillatim et placide percontabere, Et meum nomen et mea facta et itinera ego faxo scias. Pseud. 949. Immo si ecfexis, tum faxo magis [id] dicas.

Quaeritur nunc, num ulla causa sit, cur a codicum fide recedamus. Equidem invenire nullam possum. Nam coniunctivi solute positi usus tam late patet apud Plautum, ut nihil in eo sit, quod nos offendat. Accedit, ut vocabulum fac (face, facito) simili sensu positum persaepe eandem structuram praebeat. Cf. Poen. 893. Fac ergo id facile noscam ego, 1035 linguam conpescas face etc. Jam vero exemplorum copia maior est, quam ut librarium tam saepe errasse ducamus. Quare haec emendatio est reicienda et codicum vestigia sunt premenda.

Tertia forma, quacum faxo coniungitur, est futurum exactum. Nova difficultas his locis exsistit. Nonnunquam enim futuri exacti species nulla re differt a coniunctivo perfecti. Quare viri docti, Luebbertus et Ussingius, id quoque tempus huius structurae esse statuerunt. Num ii recte senserint, exempla recte interpretando nos cognituros esse speramus. Primum ea exempla afferam, ubi, quod tempus positum sit, est apertum. Pseud. 766. Jam ego hoc ipsum oppidum oppugnatum faxo erit lenonium: Capt. 801. Qui mi in cursu obstiterit, faxo, vitae is obstiterit suae. Poen. 346. (Goetz-Loewe). Deferto ad me: faxo actutum constiterit lymphaticum.

Quae his enuntiatis continentur, ad futurum tempus transferuntur, ut fut. exactum hic iustum habeat locum. Sed unus exstat versus, cui Ussingius adnotat ‚necessario perfectum intellegendum': Men. 518. ‚Omnes in te recident contumeliae. Faxo haud inultus prandium comederis'. Nam ait U. prandium iam esse comesum. Recte illud quidem, sed agitur de eo temporis momento, quo prandium haud inultus comederit i. e. quo pro prandio comeso poenas dederit. Quare cum Brixio (Men. 520) ‚comederis' pro futuro exacto accipiamus.

Duos alios adnectam locos, quibus U. adscribit: ‚possunt etiam esse coniunctivi perfecti'.

Aul. 578. Ego faxo et operam et vinum perdiderit simul, et Trin. 60. Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.

Sane quidem possunt esse coniunctivi perfecti, si formam spectas. Sin autem sententiarum nexum respicias, ei adstipuleris, qui his quoque locis futurum exactum positum esse contendit.

Ac re vera non solum futuris, quae utroque loco occurrunt, (cavebo, abstrudam — ducam), sed etiam ipsa huius temporis natura adducimur, ut hanc sententiam amplectamur. Nam eo tempore designatur fore ut id, quod enuntiati verbis continetur, re vera quam celerrime accidat.

Ita triplici construendi rationi formulam faxo subiectam esse intelleximus. Atque omnibus locis faxo non ita genuina notione positum esse videtur, sed vagatur inter notiones verbi sentiendi et efficiendi, ut fortasse recte vertas vocabulo a nostro sermone vulgari petito: ich steh dir gut (partim quod scio, partim quod mea opera efficio.)

Unus exstat locus, ubi pro vocabulo faxo invenitur ‚faciam': Cas. 753. Posthac cavebunt hoc qui audierint, faciam. — Cum alia verba exceptis eis, quae coniunctivi coniunctione soluti structuram efficiunt, parataxin non admittant, nihil iam est, quod huic primo capiti addamus.

II. De enuntiatis, quae causali ratione inter se continentur.

Enuntiata, quae causali ratione continentur, in finalia, in consecutiva, in causalia distribuuntur.

Atque en. finalia ita comparata sunt, ut causa non in ipsa re sed in homine agenti posita sit; in en. autem consecutivis et causalibus causa ipso sententiarum nexu continetur. Quae quidem ratio causalis, quae ab illis, qui severiorem dicendi cogitandive legem sequuntur, coniunctionibus ut quod exprimitur, a Plauto ita neglegitur, ut duo enuntiata, quae hunc sensum efficiunt, aeque ponantur aut asyndesi aut particularum quae ad coordinationem spectant usu adhibito.

1. De enuntiatis finalibus, quae adverbialia dicuntur.

Quae enuntiata hoc nomine comprehenderem, iam supra (I, 2) exposuimus.

Haec parataxis tum accidit, cum duo enuntiata primaria, quorum unum cum altero finali ratione continetur, aut asyndesi aut particularum usu conectuntur.

Atque asyndesis illa finalis plerumque occurrit, si verba, quae movendi notionem habent, antecedunt. De hoc usu Ballas scripsit in dissertatione, quae est de particulis copulativis (gramm. Plaut. I, p. 14). Cum eius enarrationem sequar, primum ea exempla referam, quae imperativos ‚i, ite' cum aliis imperativis coniunctos ostendunt: Asin. 382. I, puer, pulta. Bacch. 901. I, visse, estne ibi. 1059. Cape hoc tibi aurum, Chrusale, i, fer filio. Capt. 184. I modo, venare leporem. 950. Ite actutum, Tyndarum huc accessite. cet. — Sed nolim haec exempla excitare; nam hi imperativi non tam motionis quam cohortationis vim habere mihi videntur, ut quodam modo cognati sint cum imperativis pro interiectione positis ‚age, agite'.

Propius ad structuram paratacticam accedunt ea enuntiata, quibus anteponitur futurum ‚ibo'.

Asin. 913. Ibo ad Diabolum, mandata dicam facta, ut voluerit. Bacch. 366. Nunc ibo, erili filio hanc fabricam dabo. Ep. 319. Ibo intro, argentum accipiam ab damnoso sene. Men. 1035. Nunc ibo in tabernam, vasa atque argentum tibi referam. Persa 77. Nunc huc intro ibo, visam hesternas reliquias. —

Atque eandem structuram affert ‚sequere': Capt. 764. Sequere hac, redducam te. Curc. 454. Sequere hac, te absolvam. Bacch. 877. Sequere, is promittet tibi.

Adiciam tria enuntiata, quae non verba eundi, sed alia quaedam antecedunt. Asin. 605. Sermoni iam finem face tuo; huius sermonem accipiam. Amph. 300. Clare advorsum fabulabor, hic auscultet, quae loquar. Curc. 312. Da, obsecro hercle, obsorbeam.

Haec sunt exempla, quae in asyndesi versantur. Intercedunt autem, ut supra monuimus, inter ea enuntiata persaepe particulae. Hae quidem non sunt rationis finalis propriae, quae in coordinatione omnino non exstant, sed copulativae: et, que, atque. (cf. Ballas l. s. l.).

‚Et' interiectum est:

Amph. 550. Ibo et Mercurium subsequar. Stich. 400. Ibo intro ad libros et discam de dictis melioribus. 567. Sed ego ibo intro et gratulabor vostrum adventum filium. — Amph. 971. I sane et quantum potest parata fac sint omnia. Asin. 367. Nunc

tu abi ad forum ad erum et narra haec. Bacch. 592. Abi et renuntia.

In his autem enuntiatis ratio finalis tam exigua est, ut iure Draegerus ea reiecisse mihi videatur.

Eadem fere dicenda sunt de particulis que atque; cuius generis haec ponam exempla: Amph. 1042. Jam me ad regem recta ducam resque ut factast eloquar. Rud. 122. Quin tu in paludem is exicasque harundinem. — Amph. 460. Ibo ad portum atque haec uti sunt facta ero dicam meo. Ep. 164. Ibo atque adulescenti dicam, nostro erili filio. Truc. 313. Jam quidem hercle ibo ad forum atque haec facta narrabo seni.

Haec structura prorsus e rebus scaenicis et cotidiano sermone petita est. Actor enim aut se ipsum statim aliquid facturum esse pronuntiat futuris adhibitis ‚ibo fabulabor', aut alterum quam celerrime aliquid facere iubet imperativis usurpatis ‚i, ite, sequere'.

2. De enuntiatis consecutivis, quae dicimus adverbialia.

Enuntiata consecutiva, quae adverbialia appellamus, ea intellegimus, quae, ut iam diximus (I, 3) sententiarum nexu efficiuntur. His plerumque certae particulae (ita, sic) aut pronomina (tantus, hic, is, iste) intercedunt. Quibus vocabulis Plautus saepe enuntiata primaria adiungit, quamquam en. consecuti sensum clare ostendunt.

Haec parataxis, ut ita dicam, consecutiva frequentissima exsistit, si antecedit particula ita. Verum in eligendis his locis acriter discernas, utrum ‚ita' ad antecedentia an ad sequentia verba revocandum sit. (cf. Langen, Beiträge zur Erklärung u. Kritik des Plautus. S. 232). Attamen sunt loci, qui, cum fieri omnino non possit, ut part. ita ad res in antecedenti enuntiato descriptas spectet, verae parataxeos speciem prae se ferre mihi videntur.

Amph. 959. Atque ita servom par videtur frugi sese instituere: Proinde eri ut sint, ipse item sit, voltum e voltu comparet. Asin. 390. Ita haec moratast ianua: extemplo ianitorem clamat. Aul. 468. Ita mi pectus peracuit: Capio fustem, obtrunco gallum, furem manufestarium. Mil. 1047. Nam ita me occursant multae: meminisse haud possum. Poen. 315. Nam vigilante Venere si veniant eae, Ita sunt turpes: credo ecastor Venerem ipsam e fano fugent. (Male Geppertus ‚ut' inseruit. Nam fugent pro coni. absol. accipiendum esse apparet. Eodem modo ‚ita' verborum ambitui interiectum est Aul. 9,

Is quoniam moritur, ita avido ingenio fuit: Nunquam indicare id filio voluit suo.)

Perraro particula sic invenitur: Cas. 237. At ego sic agam: Coniciam sortis in sitellam et sortiar. Rud. 928. Nunc sic faciam, sic consiliumst: ad erum veniam docte, astute, Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber. —

Iterum diligentia adhibenda est in eligendis exemplis, quae versantur in pronomine tantus. Nam hoc quoque vocabulum spectare potest ad ea, quae antecedunt. His quidem locis exceptis duo exstant exempla, quae nunc proponam: Bacch. 333. Tantas divitias habet: Nescit, quid faciat auro. Stich. 295. Tantum a portu adporto boni, tam gaudium grande adfero: Vix ipsa domina, hoc si sciat, exoptare ab dis audeat.

Cum igitur vocabula ita, sic, tantus demonstrativo sensu posita sint, pronomina demonstrativa propria eandem structuram efficere consentaneum est.Haec sunt pronomina hic, is, iste: Aul. 155. Si his legibus quam dare vis, ducam: Quae cras veniat, perendie foras feratur. Bacch. 546. Sed etiam unum hoc ex ingenio malo malum inveniunt suo: Nulli amici sunt, inimicos ipsi in sese omnis habent. Pseud. 1250. Magnum hoc vitium vinost: Pedes captat primum, luctator dolosust. Truc. 191. Hoc nobis vitium maxumumst: quom amamus, tum perimus. Stich. 641. More hoc fit atque stulte mea sententia: Si quem hominem exspectant, eum solent provissere. [Aliter interpungit R²: Si, quem hominem exspectant, eum solent provissere. At conditio ad locum non quadrat. Nam re vera ita agimus (more hoc fit), quamquam stultitiae est, (atque stulte= jedoch thöricht), ut, si quem (=aliquem) hominem exspectamus, num appropinquet, videamus. Est igitur coniunctio ut omissa]. — Mil. 801. Ille eius modist, cupiet miser. (Brixius: ille — eius modist — cupiet. At ‚eius modist' idem valed quod ‚ille itast' velut Merc. 442: ita illest senex, et Men. 100: itast adulescens). — Curc. 8. Istuc quidem nec bellumst nec memorabile: Tute tibi puer es: lautus luces cereum.

In his, quae attulimus, enuntiatis, quae ratio intercedat, vocabulis in priore sententia positis indicatur.

Exstant denique alia eiusmodi enuntiata, quae nullo vinculo continentur. Atque asyndesin, quam dicimus consecutivam praebent hi loci: Bacch. 85. Rapidus fluvius est hic: non hac temere transiri potest. Curc. 81. De odore adesse me scit: aperit ilico. Mil. 835. Nam nimis calebat: amburebat gutturem. Pseud. 75.

Pumiceos oculos habeo: non queo Lacrumam exorare ut exspuant unam modo. Stich. 434. Eademst amica ambobus: rivales sumus.

Ita haec quoque structura versatur partim in particularum usu partim in asyndesi. —

3. De enuntiatis causalibus.

Eandem legem quam en. consecutiva sequuntur en. causalia. Quin eadem vocabula usurpantur in his atque in illis. Eo tamen differunt, ut, cum posteriore enuntiato causa contineatur, in posteriore en. haec vocabula sint adhibita, dico part. ita sic, pronom. tantus, is.

Persaepe Plautus particulam ita eodem fere sensu ponit atque coniunctionem causalem nam. Hunc quoque dicendi usum attigit Langen loco supra laudato (II, 2).

Hanc coordinationem invenies: Capt. 464. 469. 655. cet. Veram autem parataxin exhibent ea enuntiata, quae facile coniunctione cum vel quod subiungere potes. Accipe haec exempla: Amph. 625. Qui, malum, intellegere quisquam potis est? ita nugas blatis. Capt. 913. Nimisque hercle ego illum male formidabam: ita frendebat dentibus. Truc. 365. Non edepol bibere possum iam: ita animo malest. — Hoc monendum esse mihi videtur particulam ita in hac oratione maiore vi excitari nec nullius momenti esse. Quare ne in subiungendi quidem ratione hoc vocabulum missum faciamus.

Pro particula ita uno loco sic adhibitum esse inveni: Pseud. 1129. Malum quod tibi di dabunt: sic scelestu's.

Frequentior autem exsistit usus pronominis tantus: Bacch. 1007. Pudet prodire me ad te in conspectum, pater: Tantum flagitium te scire audivi meum. Capt. 825. Non ego nunc parasitus sum, sed regum rex regalior: Tantus ventri conmeatus meo adest in portu cibus. 868. Te hercle mi aequomst gratias Agere ob nuntium: tantum ego nunc porto a portu boni.

Pronomen is denique exstat: Bacch. 1085. Sicum eum, si convenit, scio fecisse: eo ingenio gnatust.

Nec solum vocabulorum usu en. consecutiva et causalia inter se consentiunt verum etiam asyndesi. Quae quidem saepe efficitur verbis, quae sententiam flagitant causalem. Nec tamen ea exempla revocavimus ad primum caput, quod enuntiatum, quod sequitur, nec subiecti nec obiecti munere fungitur sed adverbiali sensu positum est. Huc pertinent: Perii, odi, salvus, miser, stultus, iniurius sum. En exempla: Aul. 392. Perii hercle ego: aurum rapitur,

aula quaeritur. Mil. 491. Perii hercle: hic ad me habet rectam viam. Rud. 844. Nunc pol ego perii: Plesidippus eccum adest. — ‚Ita' appositum est Aul. 800.: Perii oppido: Ita mihi ad malum malae res plurumae se adglutinant.

Plerumque ‚perii' nihil aliud significat quam exclamationem. Ea exempla ad nostram provinciam non pertinere consentaneum est.

His cetera adiungam exempla: Capt. 327. Odi ego aurum: multa multis saepe suasit perperam. Amph. 331. Salvos sum: non me videt. Men. 705. Salva sum: pallam refert. Pseud. 974. Salvos sum: iam philosophatur. Rud. 1394. Salvos sum: leno labascit: libertas portenditur. Pseud. 80. Miser sum: argentum nusquam invenio mutuom. Pseud. 261. Stultus es, rem actam agis. Mil. 436. Iniuria's: Falsum nomen possidere, Philocomasium, postulas. —

Alia denique enuntiata latiore circuitu asyndesi causali cum sententiis primariis continentur. Sed ita comparata sunt exempla, ut sensus quem dicimus causalem non posteriore enuntiato sed priore exprimatur. Itaque prius enuntiatum coniunctione ‚cum' subiungendum est. Cuius generis haec proponam exempla: Amph. 836. Mulier es: audacter iuras, = mulier cum sis, audacter iuras. Aul. 754. Tu illam scibas non tuam esse: non attactam oportuit. Bacch. 118. Tu dis nec recte facis: non aequom facis. Rud. 1411. Bene facis: Gratiam habeo magnam.

Ex his exemplis intellegas, quae necessitas intercedat inter rationem causalem et consecutivam. Nam eodem iure, quo haec enuntiata coniunctione ‚cum vel quod' subiunximus, coniunctionem ‚ut', (consecutivam), adhibere licet. Idem fere valet structura ‚Quod bene facis, gratiam habeo magnam' atque haec dictio: ‚Bene facis, ut gratiam habeam magnam'. —

III. De enuntiatis, quae condicionali ac temporali ratione continentur.

Structuram condicionalem et concessivam disiungi non posse et ex subiungendi et adiungendi ratione sua sponte apparet. Etenim si ad coniunctionem ‚si' additur ‚et' aut ‚etiam', exsistit enuntiatum concessivum, quod eandem sequitur legem atque condicionale. Atque si condicio sententiae primariae formam induitur, saepe structura eandem

speciem praebet quam en concessiva in primaria soluta. Nam hic et illic sententia imperativa occurrit. Id testentur hi loci: Capt. 338. Ausculta, scies = scies, si auscultaveris. Ep. 33. Sine perdat; alia adportabunt Nerei ei filiae = etsi, (licet) perdiderit.

Porro exstant exempla, quae utrum ad rationem condicionalem an ad temporalem sint revocanda dubites. Id accidit in his ipsis quas modo laudavimus sententiis imperativis. Iterum ponam exemplum: Ausculta, scies. Quod quidem nos aut coniunctione ‚si' aut ‚cum' subiungere posse nemo infitiabitur. Magis autem ratio temporalis est perspicua, cum inseritur particula ‚tum' aut ‚iam'. Bacch. 1023: En specta, tum scies.

Ita parataxis condicionalis et concessiva et temporalis vinculo quodam continetur ita, ut haec tria enuntiatorum genera uno capite iure comprehendere mihi videar.

1. De enuntiatis condicionalibus.

Duo enuntiata primaria si ita comparata sunt, ut unum imperativi, alterum futuri formam exhibeat, plerumque efficiunt sensum condicionalem. Atque enuntiati condicionalis loco sententia imperativa est posita, velut Capt. 338. Ausculta, scies = si auscultaveris, scies. Re vera structura subiunctiva usurpata est Rud. 678: Si respexis, scies.

Alia exempla solutae structurae sunt haec: Asin. 350. Ausculta ergo: scies. Ep. 24. Operam da: opera reddetur tibi. Merc. 140. At edepol tu calidam picem bibito: aegritudo abscesserit. 770. Cras petito, dabitur. Trin. 139. Crede huic tutelam: suam rem melius gesserit.

Enuntiatum imperativum postponitur: Ep. 289. Scibis: audi. Rud. 1015. Mittam: omitte vidulum. Truc. 116. Scies: respice huc. 119. Faxo erunt: respice huc modo.

Inseruntur nonnunquam particulae: iam, tum, ac. En exempla: Mil. 520. Vise ad me intro: iam scies. Rud. 1007. Verbum etiam adde unum: iam in cerebro colaphos abstrudam tuo. Pseud. 49. Recita modo: ex tabellis iam faxo scies. Truc. 613. Verbum adde istoc unum: iam hercle ego ted hic hac offatim offingam. 614. Tange modo: iam hic ego ted agnum faciam et medium distruncabo. — Bacch. 695. Perge, ac facile ecfeceris. — Bacch. 1023. Em specta, tum scies. — In Capt. v. 335 cod. B. traditum est: ‚Ausculta, tum scias'. Brixius scripsit: Auscultadum, ut scias. Sed ex Bacch. v. 1023 apparet mendum inesse in coniunctivo et futurum esse resti-

tuendum, quod iam nonnulli editores fecerunt. Quare legendum est: Ausculta, tum scies.

Haec sunt exempla, quae in imperativo et futuro versantur.

Interrogatione quoque condicionem contineri hoc exemplum ostendit: Mil. 663. Opusne erit tibi advocato tristi, iracundo? ecce me. Opus leni? leniorem dices quam mutumst mare. Quamquam viri docti (C. Fr. Hermann) interrogationem adhiberi posse negarunt. Hi exemplo allato, quod habet interrogationis particulam, refutentur. At hoc concedimus multis locis ambiguum esse, utrum interrogatio an pronuntiato sit statuenda.

Ut exemplum afferam, in Amph. v. 995 Fleckeisenius scribit: Amat? sapit; Goetz-Loewe: Amat: sapit (cf. Bacch. 1165. Si amant, sapienter faciunt).

Haec dictio certe ex sermone cotidiano petita est, quae quidem maxime interrogatione et responsione continetur. Interrogat enim alter alterum, sive adest sive eum adesse simulat; responsione autem non exspectata quid ipse de re sentiat aut iudicet, addit. Eandem structuram habet lingua vernacula ex eodem fonte haustam: Liebt er (interrogatio), (so) thut er recht (responsio). Quis autem, unde ea profecta sit, meminerit in hac voce percipienda? Num putas aliter sensisse Romanos? Neque ei in priore enuntiato interrogationem inesse cognoverunt sed eam ni fallor pro pronuntiatione acceperunt.

Hanc rationem sequuntur haec exempla: Bacch. 502. Illum exoptavit potius: habeat, optumest. Ep. 683. Vincire vis: em ostendo manus. Stich. 615. Oratores tu accipis: habeas tibi. — Mil. 711. Sacruficant: dant inde partem mihi maiorem quam sibi. Most. 873. Boni sunt (servi): bonust (erus); improbi sunt: malus fit. — Atque coniunctivus invenitur Pseud. 1015. Argentum des, abducas mulierem. —

Holtze et Draegerus ea quoque enuntiata, quae praepositione ‚absque' inducuntur, ad structuram paratacticam referunt. Huic vocabulo, quod coniungitur cum pronomine personali aut demonstrativo, verbum ‚esset' aut ‚foret' adiectum est ita, ut ‚absque te esset' significet: si tu non esses. (Brix.) Exempli gratia ponam: Trin. 832. Nam absque foret te, sat scio, in alto distraxissent disque tulissent satellites tui miserum foede. cf. Capt. 754. Trin. 1127. Bacch. 412. Persa 836. Men. 1024.

Haec sunt exempla parataxeos condicionalis, quae et imperativo et interrogatione et pronuntiatione et particula absque efficiuntur.

2. De enuntiatis concessivis.

Enuntiata concessiva quam arcte cum condicionalibus cohaereant, ea exempla ostendunt, quae in altero enuntiato imperativum, in altero futurum praebent. Cf. Rud. 1401. Vel tu hercle enica, Non tacebo = licet tu me enices, non tacebo. Ep. 33. Sine perdat: alia adportabunt Nerei ei filiae. (cf. p. 18.)

Non solum eas structuras, quae en. condicionalibus et concessivis communes sunt, verum etiam suas proprias formas habet parataxis concessiva. Nam coniunctio quamquam vel alia huius similis saepe omittitur duaeque sententiae primariae particulis adversatis verum, sed, at continentur.

Bacch. 463. Triduom non interest aetatis ut maior siet: Verum ingenium plus triginta (huic) annis maius quam alterist. Pseud. 421. Atque id iam pridem sensi et subolebat mihi, Sed dissimulabam. Capt. 71. Scio absurde dictum hoc derisores dicere, At ego aio recte.

Coniunctionem concessivam tamen apte adhiberi posse consentaneum est. Cf. Mil. 44. At nullos habeo scriptos, sic memini tamen. Mil. 761. Culpant et comedunt tamen.

Atque eodem munere res dispares coniungendi funguntur pronomina idem, is. Accipe hos locos: Trin. 292. Nam hi mores maiorum laudant, eosdem lutitant, quos conlaudant. Asin. 118. Non esse servos peior hoc quisquam potest, Nec magis vorsutus, nec quo ab caveas aegrius. Eidem homini, si quid recte curatum velis, Mandes. Men. 689. Tute ultro ad me detulisti, dedisti eam dono mihi: Eandem nunc reposcis.

Aul. 667. Fide censebam maxumam multo fidem Esse: ea sublevit os mihi paenissume. Asin. 408. Quid hoc est negoti, neminem meum dictum magni facere? Libanum in tonstrinam ut iusseram venire; is nullus venit. — Ad hunc locum expediendum pauca afferam: Coniunctio ut offendit Gertzium et Ussingium, qui ad Asin. v. 405 adnotat: ‚Ut temporale huic loco parum convenit, quare Gertzio auctore particulam delevi, quae ex initio proximi vocabuli oriri potuit'. Hoc quidem est concedendum. Verum aliter illud ‚ut' interpretari possumus: Primo enuntiato ‚quid hoc est negoti' cet. queritur Leonida neminem sibi obtemperare. Quod in universum dictum est, in enuntiato quod sequitur ‚Libanum in tonstrinam . . .' uno exemplo, quod

Libanus praebet, illustratur. Itaque particula ‚ut' idem valere videtur quod in lingua Graeca, quo ex fonte Plautum hausisse constat, vocabulum ‚οἷον'. Enuntiatum autem ipsum, in quo ut positum est, concessiva ratione cum sequenti sententia, quae inducitur pronomine is, coniunctum esse mihi videtur, ut totum locum hoc modo enarrem: ‚Quid hoc est negoti neminem meum dictum magni facere? Ut Libanus, quamquam eum in tonstrinam venire iusseram, tamen nullus venit'. —

Ut particulae adversativae ita asyndeton adversativum sic adhibetur, ut exsistat parataxis concessiva. Ea dico exempla, quae coniunctione cum adversativa subiungi solent. Amph. 816. Tute edictas facta tua: ex me quaeris, quid deliqueris. Aul. 195. Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera. 710. Video recipere se senem: ille me haud videt. Most. 375. Nunc adsentatrix scelestast: dudum advorsatrix erat. Trin. 431. Miseret te aliorum: tui nec miseret nec pudet.

Coniunctione quamquam subiungas hoc exemplum: Trin. 657. Scibam ut esse me deceret: facere non quibam miser.

3. De enuntiatis temporalibus.

Parataxis quae vocatur temporalis aeque ac concessiva ad enuntiata condicionalia recurrit. Nam eae sententiae imperativae, quae temporali particula (iam, tum) sequenti enuntiationi adnectuntur, ut condicionalem ita temporalem sensum efficiunt, ut coniunctione ‚quom' bene inducantur. Ne hic quidem desideramus exemplum, quo id quod diximus probetur: Bacch. 145. Quom videbis, tum scies = vide, tum scies.

Exempla, quae has particulas praebent, iam enuntiatis condicionalibus adscripsimus. Unus restat locus, qui habet particulam temporalem 'post': Rud. 1088. Fac sis aurum ut videam: post ego faciam ut videas cistulam.

Neque alia enuntiata, sive ponitur particula temporalis, sive omittitur, ab hac structura sunt aliena.

Atque particulae temporales occurrunt hisce locis: Ep. 337. Fecisti iam officium tuom: me meum nunc facere oportet. Persa 272. Pensum confeci: nunc domum propero. Stich. 623. Deos salutabo modo: poste ad te continuo transeo. 647. Cadum modo hinc a me huc cum vino transferam: Postidea adcumbam. Aul. 709. Exfodio aulam auri plenam: inde exeo ilico.

Asyndeton ut ita dicam temporale plerumque adhibetur in narrationibus, quae sententiis concisis cotidiani sermonis simplicitatem et celeritatem imitantur. His quidem fabulae Plautinae abundant. Ut hunc usum adumbrem, unum alterumve exemplum eligam.

Aul. 373. Venio ad macellum, rogito pisces, indicant caros. 314. Pulmentum ei deripuit miluos. Homo ad praetorem plorabundus devenit. Infit ibi postulare cet. Curc. 330. Video tuom sodalem, argenti rogo uti faciat copiam. etc. etc. —

Praesenti historico, quod in omnibus enuntiatis positum est, huius sermonis vigor etiam magis effertur atque excitatur.

Ita in omnibus enuntiatis exceptis comparativis et relativis varias parataxeos formas invenimus. Atque operam dedimus, ut ea exempla, quae huius dictionis vim atque naturam maxime significarent, congereremus congestaque apte digeremus. Qua re et fundamentum quoddam iecisse, quo superstrueretur historia parataxeos Latinae, et ad Plauti sermonem enarrandum paululum contulisse mihi videor.

Hac enim parataxi continetur alacer ille sermonis vigor, quem viri docti et veteres et recentiores Plauto tribuerunt. Nec solum res et argumenta e vita atque hominum consuetudine petita sunt, sed etiam verba atque dictio inde manarunt, ut dicendi forma sententiae sit aptissima. —

Asyn mque adhibetur in
narrationib rmonis simplicitatem
et celeritat Plautinae abundant.
Ut hunc us plum eligam.
Aul. 3 es, indicant caros.
314. Puln praetorem plorabun-
dus devenit Video tuom sodalem,
argenti rog

Praese ntiatis positum est,
huius serm excitatur.

Ita in is et relativis varias
parataxeos mus, ut ea exempla,
quae huius significarent, conge-
reremus cor fundamentum quod-
dam iecisse eos Latinae, et ad
Plauti serm mihi videor.

Hac er nonis vigor, quem
viri docti e int. Nec solum res
et argumen e petita sunt, sed
etiam verba endi forma senten-
tiae sit apt